



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Art. II. An delectatio morosa semper sit peccatum?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40957

vi, quæ propriè delectatio dicitur, fitque communiter cum aliqua alteratione corporis. Ratio discriminis est, quia voluntas potest ferri in objectum abstractum à malitia, cum sequatur intellectum, cuius est abstrahere, appetitus verò, quia sequitur imaginationem, non fertur in objectum, sub aliqua certa conditione status, vel temporis apprehensum, sed ut est in se, ideoque talis delectatio est de objecto absolutè malo, *vid. Laym. & Bon. de mat. q. 4. p. 8.*

ARTICULUS II.

An delectatio morosa semper sit peccatum?

Resp. Si terminetur ad cogitatum opus malum secundum se, est peccatum mortale, vel veniale prout ipsum opus mortale, vel veniale est. Ita commun. ex *D. Thom. 1. 2. q. 78. n. 8.*

Dixi *secundum se*: quia si delectatio sit tantum de ipsa cogitatione, non autem de opere, non est peccatum, quia sicut cogitatio, v. g. de rebus obscœnis, in ordine ad doctriam, vel concionem, &c. bona est: cogitatio autem de iisdem rebus ex curiositate, est mala venialiter: ita consequenter, delectatio de tali cogitatione tanquam objecto, non est mala, sed quandoq; bona, quandoq; venialiter mala. Similiter nec peccatum erit, si delectatio versetur circa modum malè operandi, non circa ipsū opus malū: quo modo sine peccato sæpè nos delectat fabulæ, comœdiæ, bella, homicidia, fraudes, furta, lapsus hominis, v. g. ex equo, &c. nō

secundum se, sed modus furandi, rapiendi, artificiosus & industrius, modus cadendi inopinatus, *L. l. 1. c. 6. n. 4. Ex quibus resolves.*

I. Licitum est gaudere, & delectari morose de effectu bono, securo ex opere malo: quia tunc delectatio non est de objecto malo.

II. Si talis effectus secutus sit ex opere secundum se quidem malo, hic tamen & nunc culpa vacante, ut v.g. quia factum est in somno, amentia, ebrietate, inculpabili ignorantia, tunc etiam de ipso actu licere aliquando delectari, non quidem secundum se, sed ut est causa talis boni effectus, docent *Less. l. 4. c. 3. n. 105. & 106. ex V a / q. 1. 2. d. 105. c. 2.* v.g. de solutione naturæ facta in somno. Ratio, quia objectum delectationis istius non est malum. *v. Bon. de mat. d. 4. p. 8. n. 8. Sanchez. l. 1. m. r. cap. 2. n. 18. Card. de Lug. de pœn. d. 16. n. 389.* Imò addunt, licere aliquando desiderare (affectu simplici, & inefficaci desiderio,) ut tale quid fiat sine culpa, v.g. ut in somno eveniat naturæ solutio, ob finem bonum: dummodo desiderium non sit tam intentum, ut tale quid probabiliter causet, neq. sit periculum consentiendi in talem voluptatem. Ratio est, ajunt, quia objectum hujus desiderii, aut gaudii non est malum, *v. Less. & Bon. l. c.*

III. Non est peccatum, saltem mortale, si conjuges delectentur appetitu tantum rationali, de actu conjugii præterito, futuro vel possibili, respectu compartis præsentis, vel absentis. Item si sponsus desideret copulam futuram, aut de ea delectetur; vel vidua de præterita, Ratio, quia hi actus habent objectum licitum.

V. 15. Inn. XI.

Di-

Dixi, appetitu rationali: quia si sponsus, aut vidua, voluntariè consentiat in delectationem sensitivam, & carnalem, (quæ recordatione copulæ futuræ, aut præteritæ naturaliter oritur) mortaliter peccat, ut docet *Less. l. c. t. 3. cap. 6. Bon. Tann. Pala- us. v. Dia. t. 5. misc. R. 2. contra Medi &c.* Quia verò ad supradictam voluntatis oblectationem sensitiva & carnalis, ut plurimum, imò etiam periculum consensus in fornicationem, consequitur, oblectationem illam voluntatis in praxi vix locum habere, saltem in vidua, & sponsis; inter conjuges tamen, modo periculum pollutionis absit, etiam sensitivam & veneream delectationem non esse mortale, docet *Fill. Bon. de mat. q. 4. Sanch. Less. l. c. d. 1. & Dian. t. 3. misc. R. 36.* Tum quia status matrimonii hæc excusat, uti etiam tactus impudicos, solius voluptatis causa institutos: tum quia hæc tendunt per se ad opus conjugale, licet per accidens opus non exerceatur.

IV. Delectatio morosa, de rebus solo jure positivo prohibitis, non est illicita; modò non fiat sub ratione prohibitionis: v. g. si Carthusianus, vel alius, die jejunii se oblectet de cogitato esu carnum; quia non est de operè malo; cum lex tantum veret comestionem externam. *Laym. l. 1. t. 3. c. 9. n. 9. Less. l. 4. c. 3. d. 14. n. III. & n. II 3.*

V. Qui delectationem morosam mortalem confitetur, addere debet circumstantias operis, de quo fuit delectatio: v. g. in materia iræ, an fuerit de occidendo fratre, an alio; uno, an pluribus in materia carnis, an de conjugata, moniali, consanguinea. Quod tamen limitat *Az. Sa. V. Luxuria. Salas*

10m. 2. r. 13. d. 16. f. 6. n. 59. *Et* si delectatio fertur in objectum apprehensum secundum totam suam malitiam, non autem si tantum secundum partem, v. g. in foeminam apprehensam ut non solum non tamen ut alteri nuptam, vel ut moniale, tum enim probabile esse ait, delectationes tales referuntur ad speciem simplicis fornicationis. Ita etiam *Less. Bon. Dian. Palaus. v. Card. de Lugo. d. 16. n. 363* Aliud est de ipso opere externo, quod fertur in objectum, secundum totam suam malitiam; aut etiam de desiderio efficaci, quod fertur in opus externum secundum se, & ut est a parte rei, ac proinde est ejusdem cum illo speciei, idcirco ejus circumstantia semper fatendae sunt, v. *Ant. cit.*

Resp. II. Si quis sine causa, & necessitate actionem exerceat, ex qua intelligit delectationem carnis naturaliter orituram; (v. g. ex curiositate legere vel audit turpia) tamen sine directa intentione, & sine periculo consensus, peccat venialiter; si vero justam causam habeat, nihil peccat. *vid. supra in 6. p. l. 3. t. 4. c. 2. d. 4.*

Quaeres. An voluntas delectationem carnalem positivè reprimere teneatur:

Resp. Si voluntas planè eam advertens, negativè & permissivè se habeat, ita ut nec approbet, nec repellat dummodò id non permittat ex ipsius delectationis complacentia, nec periculum sit ulterioris consensus probabile est, quod docet *Cajet. Sanch. 1. mor. c. 12.* non peccare mortaliter: tum quia non consentit in delectationem: tum quia mortaliter est impossibile, omnes illos motus evit-

tate; tum quia ex iusta causa illos ^{licet} permittere, etiam secundum adversarios.

Resp. III. In praxi tamen verius videtur, quod docet *Vasq. Az. Less. Bec. 1. 2. t. 2. c. 5. q. 5.* sine iusta causa eis non resistere, esse mortale: quia ferè semper voluntas est exposita periculo consensus; & contrarium credere, est nimia sui confidentia & præsumptio. Moderatè *Laym.* utramq; sententiam probabilem fatetur, & ait, delectationem videri mortalem, nisi saltem actum simplicis displicentiæ circa illam elicias; etsi efficaciter animum ad alia divertere negligas, cum facildè possis, & speres te tali modo posse depellere. *v. Laym. l. 1. t. 3. c. 6.*

DUBIUM III.

De Distinctione peccatorum.

ARTICULUS I.

Quæ peccata distinguantur specie?

Resp. Peccata, quoad materiale, sive entitatem positivam, specie distinguuntur ex objectis formalibus, & circumstantiis speciem variantibus, quatenus eæ objecti formalis rationem habent. Quoad formale autem, proximè distinguuntur ab oppositis formis, sive rectitudine virtutis, qua privant, remotè autem & fundamentaliter, ex objectis. Ita *Tann. d. 4. de pec. d. 1. q. 2.* Ratio primæ partis est, quia omnes actus specie distinguuntur ex objectis; peccata autem quoad materiale, dicunt ipsos actus. Ratio secundæ partis, quia pri-

va-